

iste, ut etiam probasse visus sit, PP. nostros theologicæ operatos fuisse reponens.

Ex hisce argumentis nulli dubitamus, quin sanctissimus Dominus pernoscat fecisse nos iudicium atque iustitiam, ut proinde in profundissima reverentia supplicare ei liceat, ne nos tradat calumniantibus nos, sed suscipiat servos suos in bonum, ne superbi nos calumniemur. Valebit etiam ad firmandam hanc deprecationem, si P. V. A. R^{da} ulterius contestetur per ipsos, quos in Europa superiores habuimus, perque Patres omni religiosa virtute conspicuos, qui in Christo nos genuerunt atque in spiritu Societatis educarunt, nos haudquaquam disciplinae religiosae intolerantia eiusque subterfugiendae, ac libertatis sectandae studio, neque spe terrenas quasdam dignitates occupandi, sed solo amore Dei zeloque animarum impulsos, multis votis et plurimum annorum precibus obtinuisse, procul a patriae commodis ad extremas mundi oras transmitti. Tales autem cum nos Europa dimiserit, eundemque spiritum quotidianis Instituti nostri exercitationibus conservare, per Dei gratiam, usque nobis curae sit, qui probabile reddi queat, repente pessimos enormiterque sceleratos nos evadere? Num infelix adeo Sinensis agri est terra, ut cum externo habitu etiam imbibitos ab adolescentia religionis mores omnisque christianae vitae principia deponi et obliterari faciat? Si tam diu in nos tyrannidem exercet, qui fit, ut alii eam in se non experiantur? An forte quia non sunt sicut caeteri hominum? Equidem quia tales erroribus nos atque naevis vel septies in die obnoxios esse inficias haud imus, scimusque continenter falce opus esse, qua rescindamus, quae ex corrupto peccati fomite repullulant, ab his qui mundi sunt accusatores nostri, primi in nos lapides mittant: dum vero enormium nos scelerum postulant, suspicio est aut ingentes trabes suismet in oculis circumferre, aut certe obducti glaucomate oculos, videre se opinantur, quae non vident, phantastica animi occupatione decepti, ut de notorio fratrum calumniatore taceamus.

Quod si autem hae contestationes a R. P. V^a illaeque nostrae attestationes aut non recipiantur, aut non valeant adversus delatorum nostrorum argumenta, seu verius sophismata (quae quidem ut competenter confutemus, qualia proferant, ac comminiscantur, ignoramus nec divinare possumus), ita ut extra controversiam, sicut iam habentur, sic persistant imputata nobis delicta; aliud nobis non restat, quam ut ad pedes sanctissimi Domini et innocentissimi Patris nostri peccatores provolvamur filii et humiliemur sub paterna castigantis manu: etsi enim quorum incusamur criminum, reos nos esse haud agnoscamus, in multis tamen offendisse omnes non diffitemur; exhorretque animus tantam blasphemiam, ut dicentes, quoniam non peccavimus, mendacem faciamus eum, qui fidelis et iustus est, ut emundet nos ab omni iniquitate. Interim misericordiam implorare non cessamus, ut dum delinquentes plectere filios constituit, saltem innocentem parceat Matri, quae nullam in filiorum delictis partem habet, ut iustam iudicis contra se iram proritet; et vel ipse supremus iudicum arbiter olim definierit patrem (utique et matrem) iniquitates filii non portaturum. Propter decem iustos pepercisset idem infamibus Pentapolitanis: quomodo fieri queat, ut ipsis Sodomis ac Gomorrha peior reputetur minima Iesu Societas, pauciorumque noxa sociorum universa luat, quam tot sancti viri et innumeri undique iusti